Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1399
Quelle:
Copyright:

bisdam Herbipoli ad me missis, reperio annum Domini 1315. At potuissent uterque certiora tradere inspecta P. I. c. 6. in duas enim *Partes* tribuitur *Victoria;* nam ibi aperte legitur: *Adhuc est hic sciendum quod Christianis computantibus nunc ab incarnatione domini Annos. 1303. computant Judei ab initio mundi Annos 5063.* Ineunte igitur Sec. XIV. desudavit in hoc opere *Porchetus* usus potissimum, ut ipse in *Prooemio* fatetur, *Pugione Fratris Raimundi Martini hispani ordinis predicatorum de partibus Cathalonie*, de quo Sec. XIII. Scriptore adi *Quetifum* in *Scriptt. Ord.* T. I. p. 396. aut *Fabric. Bibl. med. Lat.* L. XVII. p. 40. Nescio, qui factum, ut in *Cod.* nostro *folii 1. p. 1.* vacua *Prooemium* incipiat *p.* 2. ab iis verbis: *poterunt, non sic haberi apud eos. vt a nostris contra ipsos me interprete ueritas inducetur* &c. Quae addo, in *Editis* sub finem *Prooemii* desunt: *Huius autem libelli tenor in duas diuiditur partes. In quarum prima magis et prestancius de humanitate messie seu christi quam de eius diuinitate disseritur. In secunda uero magis de diuinitate ipsius quam de eius humanitate habetur. ut a scrutantibus poterit elatius intueri. Prima pars continet capita. 24. secunda uero continet capita. 16.* Horum *Index* utramque *Partem* antecedit. *Partis* I. c. 1. initium est: *Quemadmodum diuisio continue uiguit inter Israel et Juda* &c. Operis totius finis: *Ad quam quidem vitam et requiem sempiternam perducat et inducat nos dominus noster ihesus christus. Qui cum patre* &c. Hunc excipit sequens clausula: *Explicit Opus* (erasum videtur *porcheti*) *contra Judeos. Per me Matheum de sancta Cecilia Veronen. Notarium transcriptum et copiatum, ac completum ad laudem honorem et gloriam — die XVI. ms. Januarij Anno a Natiuitate eiusdem domini nostri ybesu christi Millesimo quatringentessimo Nono Indictione secunda. Amen. Christe fily dei viui miserere nobis.* Et iterum *Sambuci* scil. Possessoris. Quod jam vel hic, vel alius quispiam superius *Porcheti* nomen eraserit, vix fallar, Notam in caussa fuisse, quae in Theca posteriore Libri intus sic sonat: *Quidam ualentissimus hebreus yspanus qui appellabatur raby abner de uallADolit. conuersus fuit ad catholicam fidem in tempore Inclytissimi domini regis yspanie. qui appellabatur rex alfonsus de bona memoria. et Dominus rex fuit eius patrinus. et propter hoc habuit nomen Domini regis. s. magister alfonsus. iste composuit istum librum. s. in predicta ciuitate. item est sciendum quod istud nomen abner* (אב נר) *idem sonat in hebraico. quam pater luminis. et ita reperitur in Interpretationibus beati iheronimi. ideo diuisit inter lumen domini christi. et obscuritatem et tenebras perfidorum hebreorum. Dominus deus noster trinus et unus parcat ei. amen. ego magister petrus yspanus Interpretator. scrip-*

si